

dens autem probatur, quia sol in eodem instanti, quo creatus est a Deo, illuminavit, alias aliquo tempore esset sol in rerum natura sine eo quod illuminaret, cum inter primum instans suæ creationis, et illum in quo illuminaret necessario mediaret tempus aliquod, quod dici nullatenus potest; ergo etiam in eodem instanti, quo Christus conceptus fuit meruit actionibus voluntatis immanentibus, quæ in instanti produci possunt, et hac ratione affirmatur communiter a theologis Angelum in primo instanti mereri potuisse. Quæ omnia amplius explicabuntur, et hæc ratio corroborabitur in solutionibus argumentorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Primo arguitur argumento Alensis: Nam in eodem instanti nequit res produci, et operari: ergo in eodem instanti nequit res produci, et mereri. Probatur consequentia, quia meritum sine operatione esse nequit; antecedens autem non probatur ab hoc auctore, sed ut manifestum relinquitur.

VIII. Respondetur ex his, quæ modo dicta sunt, bene enim potest res in eodem instanti operari in quo incipit esse.

IX. Secundo, arguitur argumento magistri: Quia ad rationem meriti necessario requiritur libertas; sed in primo instanti conceptionis Christi non potuit in voluntate humana ejus reperiri libertas; ergo neque meritum. Consequentia est nota, et major patet ex supra dictis dubio primo; minor vero probatur primo, quia libertas esse non potest sine indifferentia, sed indifferentia ad opus respicit futurum tempus, non præsens; ergo non potest in illo primo instanti reperiri libertas in voluntate humana Christi. Et hac

ratione existimavit magister, neque Angelum in primo instanti potuisse mereri, aut demereri.

X. Secundo, probatur eadem minor a D. Bonaventura, et B. Alberto Magno, quia in primo instanti aliquid rei non potest esse consultatio, quæ tempus requirit; sed consultatio requiritur ad libertatem: ergo esse non poterit in Christo in primo instanti suæ conceptionis, atque adeo neque meritum.

XI. Respondetur, quod in primo instanti conceptionis Christi optime potest esse libertas requisita ad meritum, quia licet de ratione libertatis sit indifferentia, tamen illa non est intelligenda respectu temporis futuri tantum, sed in eodem momento temporis considerari potest, videlicet ex eo quod voluntas considerata prius natura quam operetur, indifferens erat ex se ut posset operari, et non operari.

XII. Ad secundam probationem ejusdem minoris ibi positam, dico quod in primo instanti conceptionis Christi potest esse deliberatio sufficiens ad merendum, quia hæc deliberatio non fit cum discursu, et labore, aut mora temporis, sed sola propositione indifferenti utriusque partis, quæ in primo instanti temporis esse potuit, quia ut optime docet D. Thomas infra quæst. xxxiv, art. ii ad secundum, qui perfecte cognoscit, non indiget discursu, aut mora temporis, sicut citharædus ad pulsandam citharam. Non fuit autem necessarium in Christo aliquam consultationem præcedere, ut ibidem docet D. Thomas: illa enim non præægitur nisi propter inquisitionem incerti; cum ergo esset Christus in illo primo instanti plenus scientia, non indiguit consultatione.

XIII. Tertio: arguitur argumento Capreoli: Quia prior debet esse operatio naturalis, quam operatio libe-

ra; sed operatio naturalis nequit esse meritoria; ergo neque etiam prima operatio Christi in primo instanti facta.

XIV. Respondetur negando majorem, sine fundamento enim dicitur a Capreolo operationem naturalem debere esse tempore priorem, quam liberam, atque adeo ex hac parte nihil ob stare potuit quominus Christus mereretur in illo primo instanti. Potest enim dici, quod in Christo nulla fuit actio naturalis necessaria quoad exercitium, quæ sola est incapax meriti, omnes enim liberæ fuerunt quantum ad exercitium, licet aliquæ necessariæ essent quantum ad specificationem, quæ libertas ad meritum sufficit.

XV. Ultimo, arguitur argumento Durandi, qui specialiter probat Christum non potuisse mereri in primo instanti suæ conceptionis, quia aut meruit Christus operatione beatifica, aut alia actione voluntatis, quæ consequitur actionem intellectus secundum quod non videt Deum. Primum dici non potest ut constat, neque secundum quod sic probat, quia nulla actio intellectus in illo primo instanti perficitur a qua actio voluntatis libera procedere possit; ergo. Probatur antecedens inductive, nam actus ille intellectus prærequisitus non fuit scientiæ experimentalis, illa enim fit ministerio sensuum, quibus in illo instanti Christus non utebatur; neque etiam fuit scientiæ infusæ, quia hæc scientia infusa necessario pendet in usu a sensibus (sentit enim Durandus, ut supra vidimus, quod hæc scientia infusa non differt specie natura sua a scientia acquisita) ergo non datur aliquis actus intellectus in illo primo instanti, a quo originetur actus liber voluntatis Christi in eodem instanti libere eliciendus, necessario prærequisitus ad meritum.

XVI. Respondetur verissimum

esse Christum in illo instanti non meruisse per actum beatificum, qui est incapax meriti, sed per actum liberum voluntatis, qui sequitur ad scientiam infusam. Nec aliquid valet impugnatio Durandi, ex ejus enim ratione, quæ perfectum usum sensuum in Christo requirit, sequetur non solum in illo primo instanti, sed nec etiam toto tempore instanti potuisse mereri, quia eadem est ratio circa usum perfectum sensuum in illo primo instanti, et in prioribus annis infantie Christi. Quare merito sententia Durandi temeritatis nota censuratur a theologis. Dicendum ergo est, quod ad usum scientiæ per se infusæ, quam habuit Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis, nullatenus fuit necessarium, quod operationes sensuum exerceret, aut quod se converteret ad phantasmata, licet pro sua libertate illud facere posset, ut supra diximus agentes de hac scientia infusa quæstione xi, articulo ii, atque adeo ad actum hujus scientiæ infusæ optime sequi potuit actio voluntatis humanæ Christi libera, quæ de facto meruit in illo primo suæ conceptionis instanti.

ARTICULUS VII.

Utrum in illo primo instanti suæ conceptionis Christus totum suum meritum consummaverit, taliter quod per alias actiones suæ vitæ mortalis nihil novum meruerit?

I. Prima conclusio: Christus Dominus non tantum meruit in primo instanti suæ conceptionis, sed etiam alio toto tempore vitæ suæ mortalis per plures passiones, et actiones, et præcipue per mortem suam. Hæc conclusio satis colligitur ex sacra Scriptura, in qua multoties designa-

tur Christum præcipue per mortem meruisse. Apocalyp. v : *Redemisti nos Deus in sanguine tuo, etc.* et Ecclesia canit in cantico Ambrosii et Augustini : « Te ergo quæsumus tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti : » et D. Paulus ad Colossenses II : *Et vos cum mortui essetis in delictis convivicavit cum illo delens, quod adversus nos erat chirographum decreti, affigens illud cruci, et spolians Principatus, etc.* In quibus verbis redemptionem, et alia multa bona tribuit D. Paulus morti Christi.

II. Deinde, probatur ex communi doctrina sanctorum patrum, præcipue D. Augustini sermone XI de tempore, ubi ait : « Adoremus pannos infantie ex quibus facta sunt emplastra naturæ. » Et certe non alio modo nisi quia dum Christus pannis involvi pro nobis elegit, sanitatem nobis promeruit. Et D. Bernardus sermone secundo de circumeisione ait : « Merito sane dum circumciditur puer, qui natus est nobis, salvator vocatur, quod videlicet ex hoc jam cæpit operari salutem nostram immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. » Quid clarius pro nostra conclusione dici potuit ? D. Ambrosius libro II in Lucam ait : « Meum ergo paupertas illius patrimonium est, et infirmitas Domini mea est virtus ; maluit sibi egere, ut cibus abundaret. » Et certe non aliter, quam per meritum.

III. Secundo, probatur conclusio ratione, quia si opposita sententia vera esset, sequeretur quod per primum actum meritorium Christi in primo instanti exercitum, consummatum, et perfectum esset totum nostræ redemptionis opus. Consequens dici non debet, quia contradicit fidei qua assentimur Christum nos redemisse per suum sanguinem, et mortem : ergo nec etiam antecedens. Sequela probatur, quia

si in illo primo instanti per primum actum meruit Christus totum præmium dabile, ita ut ibi meritum ejus fuerit consummatum, et perfectum, per accidens fuit quod postea temporis decursu alios actus exerceret Christus, aut passionem, et mortem subiret, quia etsi non sequerentur, nihilominus totum meritum esset in re positum per primum actum.

IV. Confirmatur, quia etiam sequeretur, quod Christus per suam mortem non meruerit simpliciter. Quod sic probo : Quia meritum simpliciter debitum, sed juxta oppositam sententiam non corresponderet debitum simpliciter morti Christi, sed solum secundum quid, et cum addito, hoc est, id etiam quod antea meruerat, solum novo titulo : ergo non esset in passione Christi meritum simpliciter, quod nullus theologus audebit concedere.

V. His suppositis difficile est explicare, et hæc duo componere, quomodo videlicet Christi meritum secundum se sit infinitum simpliciter, et nihilominus quomodo in prima operatione non meruit totum, quod in ratione præmii illi potest correspondere, sive finitum, sive infinitum sit. Et rursus quomodo restabit aliquid aliud merendum per plures operationes, et præcipue per mortem. Circa quam difficultatem multa, et varia asserunt theologo. Omissis tamen illis, quæ communiter impugnantur, veriora proferamus.

VI. Secunda conclusio : Si meritum Christi consideretur quantum ad sufficientiam, Christus meruit per primum actum in primo instanti conceptionis exercitum totum quod illi correspondere potuit in ratione præmii per reliquos actus virtutum, quos in discursu vitæ

mortalis exercuit, imo per ipsam passionem, et mortem. Hanc existimo nullum theologum negare posse, supposito quod asserat meritum Christi esse simpliciter infinitum ex persona ipsa merente ; nam cum primam operationem persona illa infinita operata fuerit ut quod, tantam illi operationi infinitatem, et valorem tribuit, quantum omnibus operationibus simul, atque adeo quantum ad sufficientiam omne præmium meruit a principio.

VII. Quid vero intelligamus per verba ista quantum ad sufficientiam, facile explicabitur, et nihil aliud est, quam asserere quod si consideretur prima operatio Christi in primo instanti exercita secundum infinitatem, quam a persona infinita participat, sufficientissima est ad se, et condignitatem habet cum præmio infinito, et finito, quod Christo dari potuit, ita quod si nullam aliam operationem in toto vitæ moralis decursu operaretur Christus, illa prima operatio sufficeret ad merendum omnia, quæ Christus de facto meruit per omnes operationes.

VIII. Tertia conclusio : Si meritum Christi consideretur quantum ad efficaciam, seu quantum ad applicationem Christi merentis respectu diversorum præmiorum, Christus de facto non omnia meruit per primam operationem, sed semper per singulas aliquid novum merebatur, et præcipue per ejus passionem, et mortem. Volumus dicere, quod licet meritum Christi primæ operationis esset sufficiens ad omne præmium (ut conclusione præcedenti dicebamus) de facto tamen non applicuit illam operationem ad omne præmium, sed diversas operationes ad diversa præmia, et præcipue ejus passionem, et mortem. Hæc conclusio colligitur ex multis locis sacre Scripturæ, et sanctorum patrum affirmantium Christum per

sudorem, et fatigationem, et circumcisionem meruisse aliquid novum nobis ; ubi consequenter affirmant Christum de facto non omnia præmia per primum actum promeruisse, ut facere potuit si voluisset, sed per singulas passiones, aut operationes singula præmia sibi fuisse debita. Probant istam conclusionem rationes, quas fecimus pro prima conclusione, quæ satis efficaces sunt, et præcipue, quia esset magnum inconueniens asserere, quod per mortem suam Christus nihil novum meruit, quod in primo instanti non meruisset, cujus oppositum sonant auctoritates supra adductæ in confirmationem primæ conclusionis, sed solum novo titulo id quod antea jam promeruerat.

IX. Ex his duabus conclusionibus conciliantur aperte duo loca D. Thomæ, quæ vehementer inter se pugnant videntur. Unus est infra quæstione XLVIII, art. I ad secundum, ubi postquam posuerat argumentum, videlicet, quod Christus ab initio, et sibi, et nobis meruit, superfluum est iterum mereri ; sed Christus in principio per primam operationem meruit nobis salutem : ergo per suam passionem eandem salutem nobis non meruit. Respondet quasi concedendo, quod omnia Christus meruit in primo instanti, et non postea, sic enim ait : « Ad secundum dicendum, quod Christus a principio suæ conceptionis meruit nobis salutem æternam, sed ex parte nostra erant quædam impedimenta, quibus impediabamur consequi effectum præcedentium meritorum unde ad removendum illa impedimenta, oportuit pati Christum. » Ecce quomodo non ponit D. Thomas, quod aliquid Christus meruerit per passionem, sed solum quod abstulerit impedimenta, ut non consequeremur effectum præcedentium meritorum Christi.

X. Secundus locus est in hac parte, quæstione XLVI, articulo III, in corpore, ubi D. Thomas sic ait: «Christus per passionem suam non solum hominem a peccato liberavit, sed etiam gratiam justificantem, et gloriam beatitudinis ei promeruit, ut dicetur, inquit, infra quæstione XLVIII.» In isto ergo testimonio clare patet, quod per passionem secundum mentem D. Thomæ Christus nobis meruit gratiam, et gloriam, et non solum ablationem impedi- menti, cujus oppositum videtur dixisse in testimonio primo allegato.

XI. Sed certe quamvis Vazquez ubi supra dixerit, nec satis capio quid in ea solutione S. Thomas denotare voluit, quasi asserens illud esse inintelligibile, ista duo loca D. Thomæ optime conciliantur, nec inter se pugnant, cum idem sanctus doctor ab uno in alium locum se remittat utrobique, quod nullatenus faceret si opposita in diversis locis pronuntiasset. Non ergo intelligit illum Vazquez ex defectu piæ affectionis ad ipsum, et ad ejus scholam, quæ etiam ad intellectio- nem doctrinæ valde juvat. In primo igitur loco D. Thomas loquitur de de merito Christi quantum ad suffi- cientiam, et sic totum præmium meruit per primum actum, ut diximus in secunda conclusione. In secundo loco locutus fuit quantum ad applicationem meriti, et juxta istam diversam applicationem ne- cessariam ad assecutionem præmii, diversa diversis actibus meruit, et præcipue per passionem, quam pro nostra salute, et redemptione, justi- ficatione, et glorificatione de facto applicuit. Quid autem per singulas operationes promeruit nobis, defi- nire certo non potest ille, cui revelatum non fuerit, cum ex mera vo- luntate Christi nobis non nota pen- deat. Loca tamen sacræ Scripturæ,

et sanctorum patrum sufficientissi- mum fundamentum præbent, ut in diversis operationibus diversa nobis promeruisse fateamur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XII. Arguitur primo ad probandum, quod Christus Dominus solo illo instanti primo promeruerit, non vero alio tempore suæ vitæ mortalis, ex D. Augustino a magistro Cabrera relato disputatione III, num. XVIII, qui ait, quod Christus in me- rito non profecit; ergo cum deter- minatum sit dubio præcedenti, quod in primo instanti meruerit, si in illo merito non crevit, solo illo instanti promeruisse dicendum erit, alias meritum cresceret.

XIII. Item D. Thomas infra quæst. XXXIV, artic. III ad tertium, ait: «Nihil prohibet idem esse alicujus ex diversis causis, et secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam in primo instanti suæ conce- ptionis meruit, potuit etiam poste- rioribus actibus, et passionibus me- reri, non quidem ut esset magis debita, sed ut sibi ex pluribus cau- sis deberetur.» Ex quibus verbis satis aperte colligi videtur Christum Dominum omnia, quæ sub ejus me- rito cadunt præmia in primo in- stanti suæ conceptionis meruisse, et quod postea per alios actus a se exercitos toto vitæ suæ mortalis de- cursu nihil novum meruit, sed idem pluribus aliis titulis.

XIV. Ad hoc argumentum ex doc- trina data facilis patebit solutio, nam quando D. Augustinus ait, Christum in suo merito non profecisse, sen- sus planus est, quod non fuerit ma- joris valoris secunda operatio, aut reliquæ, quam prima meritoria, quia in gratia, aut virtutibus Christus non profecit, atque adeo nec in merito quantum ad sufficientiam, ut nos

diximus secunda conclusione. Per hoc tamen nullatenus negare vo- luit, quod per alia opera a se exer- cita non meruerit aliquid de novo per applicationem meriti sui ad peculiare præmium, sed potius fa- tetur ut constat ex testimonio addu- cto in probationem primæ conclu- sionis.

XV. Ad auctoritatem D. Thomæ dico verissimum esse, quod illa, quæ uno titulo jam sunt promerita, possint etiam promereri alio novo titulo, sed tamen negamus, quod senserit D. Thomas, quod omnia de facto meruit Christus quantum ad efficaciam, et applicationem per primam operationem suam, sed tunc omnia meruit quantum ad sufficientiam, tamen quantum ad applicationem meruit simpliciter de facto nostram gloriam, et repara- tionem per ejus mortem, ut aperte fatetur D. Thomas infra quæstione XXXVI, articulo III, quod si plures operationes ad unum determina- tum præmium applicuisset, ut vi- detur fecisse respectu nostræ redem- ptionis, et salutis, omnia illa habue- runt vices unius tantum meriti, et præmium illud adæquatum erat efficaciam, et applicationi talium meritorum.

XVI. Secundo, arguitur ratione: Quia meritum Christi, quod habuit in primo instanti suæ conceptionis infinitum fuit simpliciter: ergo prima operatio meritoria in illo pri- mo instanti exercita fuit meritoria cujuscumque præmii, atque adeo nihil novum per alias operationes vitæ suæ mortalis potuit Christus mereri.

XVII. Respondetur concedendo antecedens et distinguendo conse- quens. Prima operatio fuit meritoria cujuscumque præmii quantum ad sufficientiam, et valorem, concedo; quantum ad efficaciam et applica- tionem, nego. Itaque non ex defectu

valoris operationis primæ Christi non meruit omnia de facto per il- lam, sufficientissima enim erat illa sola, si nulla alia superadderetur, sed ex hoc quod Christus alia opera excellentiora ex objecto, et magis ardua ad diversa præmia applicare voluit.

DISPUTATIO XVIII.

DE HIS, QUÆ CHRISTUS SIBI, ET ALIIS MERUIT.

ARTICULUS I.

Utrum Christus sibi meruerit gloriam essentialem animæ, gratiam habi- tualem, et alia supernaturalia do- na, quæ habuit?

I. In hac disputatione primo agen- dum erat de unione quoad substan- tiam, sed quia de hoc egimus supra disputatione VI, articulo II, illa omissa, ad ea, quæ unionem sequun- tur properamus.

II. Quantum attinet ad gloriam essentialem animæ, de facto etiam sibi Christum meruisse senserunt plures theologi B. Albertus, Mag- nus, Altissiodorensis, Major, Basso- lis, et alii, quos adducunt magister, Medina dubio V, magister Vincen- tius pagina 504, Suarez disp. XL, sect. II, et Vazquez disp. LXXVIII, cap. I, et Alexander Alensis gratiam etiam, et gloriam Christum sibi me- ruisse, reputavit probabile.

III. Secunda sententia est quorum- dam theologorum affirmantium Christum de facto nec gratiam suam, nec gloriam animæ meruisse; potuisse tamen essentialem gloriam